Vir Nobilissime et Amplissime.

Mitto ad te exile munus et quidem alienum, non ex tuâ dig-
-nitate sed auctoris ingenio et mittentis affectu aestimandum.
Amores sunt clarissimi apud nos poetae et Historici patriae
ordinum, quibus hoc visum mihi videtur, ut saeculo testatum
faciat, posse etiam in caelibem ac connubii expertem thorum
huius argumenti delicias cadere, quibus ille vero viduas
noctes et insomniam solatur. Carmen ipsum politum
et castigatum si quid mei iudicii, et ad Tibulli ~~lectum~~ lacteam
niuem, ne quid amplius dicam, quod adulationem mihi
prosperis ventis impingat. Mitto autem varias ob
causas, primum tibi Nobilissime Domine, qui in
omni genere carminis quantum potes, dudum per
otia tua fecisti, ne hoc saeculum ignoraret; deinde
illi, quod unus omnium optime de hisce iudicare
potes, postremo ad te, ut qui harum elegantiarum non
minus condignus arbiter, quam Expertus auctor audias,
tantumque tibi inter aulae curas, otii impendendum curis
hisce melioribus censes, ut non minus omnes tibi
ipsos debeant, quam verum alumni. Inprimis vero ut
hoc auderem fecit humanitas tua, cum me jussu
ordinum

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bouricius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/664

Ordinum amandatum, et ad Illustrissimi Principis ora-
-culum aditum parandum, pro eo quod iidem ordines nobis
iniunxerant. Veteris et in Academia contractae amici-
-tiae memor, affatu benivolentissimo excepisti, ac pro-
-lixius amicitiae officia ultro detulisti. Habebis itaque testi-
-menti vice Nobilissime Domine, quod exceperam omnino,
et quidem alienum, dum fori undequaque calentis curae, eman-
-cipatum ac meum me patientur aliquid oculo, inter tot
scribillantium vota obtrudere. Bene vale Amplissime
et Nobilissime Domine et amice, ac diu Illustrissimo
Principi tuo felix vive. Hevordt 8 martij 1632

Tuae Amplitud. studiosiss.

J. J. Bouricius

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bouricius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/664

Nobilissimo et Amplissimo Dnō
Constantino Huygens, Equiti, Illus-
trissimo Principi a secretis.

Haga

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bouricius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/664